



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 13. Conradus Imperator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. Sed noluit Bruno Jurisdictionem Archiepiscopi Trevirensis, Metropolitæ sui, lædere; suberat tamen impedimentum, quo minus ab eo ordinari posset, nam præcipere solebat Archiepiscopus Suffraganeis suis, priusquam Ordinationem reciperent, ne ullum negotium præter ipsius mandata vel consilia unquam perficerent, idque sibi juramenti fide promitterent. At Bruno credens ejusmodi juramentum servari haud posse, & nolens promittere, quo se non posset exsolvere, jurare recusabat. Tandem Rex litem composuit, judicans, illud juramentum & obedientiam ad sola negotia Ecclesiastica esse restringendam, ut *sup. l. LII.* antiquum Metropolitaram postulabat. *§. 5.* Itaque Bruno nona Septembris anno millesimo vigesimo sexto Tullensis Episcopus consecratur.

§. XIII.

Conradus Imperator.

Conradus Rex Romam venit anno sequente, ubi in die Sancto Paschæ vigesimo sexto Martii a Joanne XIX. Pontifice Imperator coronatus est. Gisela quoque Conradi Conjugi Papa coronam imposuit; quam pompam duo Reges auxerunt, scilicet Rudolphus Rex Burgundiæ, Gisela patruus, & Canutus Rex Angliæ & Daniæ, qui ad exsequendum

Sæculum XI.
A.C. 1027.

dum concepta vota venerat. Ei coram Papa, Imperatore, aliisque Optimatibus ibi præsentibus conquerenti, quod Subditi sui tam Angli quam Dani Romam vel Religionis, vel mercaturæ causa proficiscentes variis modis vexarentur, promissum, eos impofterum a vectigalibus fore exemptos, & plena commendi libertate usuros. Quod concedere inprimis Regis Rudolphi erat, cum suo milite plerasque Alpium fauces obsideret. Illam quoque querelam in medium attulit Canutus, quod immensa pecunia ab Archiepiscopis suis, Romam ad petendum Pallium euntibus, exigerebatur. Statutum, atque promissum, etiam hujus mali radicem tollere. Hæc discimus ex Epistola ab eodem Rege data ad Præsules, Optimates populumque Angliæ, quibus Denarium S. Petri Romanis exacte solvere, aliaque Ecclesiis debita præstare imperat.

tom. 9. Conc.
p. 861. ex
Wil. Mal-
mes.

Conradus Imperator, in Germaniam redux, eodem anno 1027. Concilio interfuit, Francofordiæ ab Aribone Archiepiscopo Moguntino convocato, ad quod celebrandum Episcopi viginti tres convenerunt. Ante Altare, qua Orientem spectabat, sedebat Archiepiscopus Moguntinus cum suis Suffraganeis, ad Occidentem Imperator, habens ad dexteram suam Pelegrinum Archiepiscopum

P 2

Colo-

Sæculum XI. Coloniensem cum Suffraganeis suis, &
A.C. 1027. ad sinistram Hunfridum Archiepiscopum
 Magdeburgensem ejusque Suffraganeos.
 Ad meridiem alii sedebant, & ad Septen-
 trionem complures Abbates. In hoc
 Concilio Aribō Archiepiscopus veterem
 litem de Monasterio Gandesheimensi ad-
 versus Godehardum Episcopum Hildes-
 heimensem renovavit; & tunc quidem
 Godehardus in Synodo præsens Jus suum
 acquisitum testimonio septem Episcopo-
 rum, qui Transactioni Gandesheimensi
 interfuerant, demonstravit. Nihilomi-
 nus Archiepiscopus in duobus aliis Con-
 ciliis, annis sequentibus celebratis, anti-
 quam crambem recoxit. Tandem anno
 millesimo trigesimo cessit, fassus est se
 errasse, & S. Episcopo reconciliatus est.

§. XIV.

Canutus Rex Daniæ & Angliæ.

Canutus seu Cnuto, Sueini seu Sueno-
 nis Regis Daniæ filius & Successor,
 Patris vestigiis insistens in Angliam navi-
 gavit, ut Gentem suam ulcisceretur,
 gravibus injuriis affectam sub Rege cru-
 deli Ethelredo, quocum pertinax bellum,
 & deinde cum filio ejus Edmundo, qui
 Latus ferreum dicebatur, gessit. Tan-
 dem Edmundo fatis functo, solus in An-
 glia rerum potitus anno 1017. viginti an-
 norum spatio imperavit. Christianus
 erat,